

B. C. D. 22

DISSERTATIO GRADUALIS,

De

**ANIMÆ
IMMORTALITATE,**
QUAM

Annente Amplissimo ad Auram Philoso-
phorum Ordine,

PRÆSIDE

Max. Reverendo atque Amplissimo VIRO,

**D^N. M^{AG}. CAROLO
MESTERTON,**

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ordin.

Publice bonorum disquisitioni sistit,

ABRAHAMUS FALANDER, E. F.

OSTROBOTNIENSIS.

Die 24. Julii, Ann. MDCCLI.

H. p. m. f.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc. Finland.

JACOB MERCKELL.

A. C. D.
 DISSERTATIO GRADUALIS,
 DE
ANIMAE
IMMORTALITATE.
 QUAM
 Auctore Jacobo Merello, Doctoris
 Philosophiae, & Astronomiae,
 Praeside
 D. M. CAROLO
 MERTON,
 Log. & Math. Profess. Reg. & Ordin.
 Abrahamae Falander, F. F.
 Astronomiae,
 Die 24. Julii, Ann. MDCCCL.
 H. d. m. A.
 ABOE, impensis Dues. & Typogr. Reg. Magn. Duc. Finland.
 JACOB MERCELLI.



§. I.

Immortalitatem animæ, quæ inter philosophicas est veritates, multi non ex veteribus solum, sed & recentioribus, vel penitus negarunt, vel saltem dubiam reddere sunt conati, quorum catalogum apud Læschnerum in prænotionibus Theologicis, & Buddeum in Thesibus Theologicis de Atheismo & superstitione videre licet. Veritatem hanc auream argumentis existimamus philosophicis ita apodictice probari posse, ut expugnetur animus non nimium pertinax suarumque cupiditatum præjudiciis non obrutus totus.

§. II.

Argumentum ex immaterialitate animæ desumptum quousque vim suam porrigat, primum videbimus. Posita mentis reali a corpore distinctione sequitur primum corpore nostro destructo mentem nihilominus salvam manere posse, cum hæc duæ substantiæ toto cœlo sint diversæ. Deinde & hinc manifestum est, mentem non comodo destrui posse,

quo corpora quotidie destrui videmus, dum, partium vinculo soluto, eadem substantia novos extensionis modos induit. Nam cum anima non sit extensa, utique nec in partes, quas plane non agnoscit potest resolvi, aut extensionis, cujus plane est expers, varias modificationes admittere. Unde & sponte sua sequitur, mentem naturæ hujus corporeæ & creatæ viribus nullo modo plane destrui posse.

§. III.

Nihil natura operatur nisi movendo, motu autem nihil effici potest, nisi aut partes sejungantur, & hoc ipso aliam magnitudinem, figuram, situm connexionem adsumunt, quæ omnia ad mentem incorpoream nihil pertinent. Verum utrum forte annihilatur anima nec ne, ex sola immaterialitate ejus nondum liquet, cum enim nihil præter solum Deum existentiam habeat necessariam, utique spiritus finiti in se considerati natura non magis quam corporis in pristinum nihil redigi potest. Annihilationis adhuc dum nullum exemplum habuimus ne in corporibus quidem, utrum vero hæc in antiquum suum nihil aliquando reditura sunt

sunt, ratio certe definire nequit, pro sententia tamen negante potius, quam affirmante stare videtur. Sed cum annihilatio plane nihil aliud sit, quam negata conservatio, conservatio autem quasi continuata quædam creatio, utique manifestum est annihilationem non minus, quam conservationem & creationem esse solius Dei. Quin per absolutam suam potentiam possit Deus mentes nostras delere non dubium est. Quæstio igitur tota huc redit, an velit? Rationes fortissimas negandi suppeditant ipsius Dei attributa, quorum pleraque immortalitatem animæ repugnare ostendit *Poiretus in cogitationibus suis ratione de Deo, anima hum. & mundo.* Non urgebit Poiretus argumentum ex immutabilitate Dei & constantia petitur, qua non videtur permittere, ut ullam substantiam a se creatam penitus deleret, adeoque opus suum improbaret. Vi ejusdem argumenti sequeretur, nec ullum corpus unquam annihilandum esse, quod, an salva S:æ S:æ auctoritate statui possit, merito dubitatur.

s. IV.

Cum sæpius contingat pios quovis duriori
in

in hac vita sorte uti florentibus & pios impune opprimentibus improbis, non conveniens est Deo justissimo illo præmiorum pœnarumque distributori non vitam post hanc vitam concedere, ubi major præmiorum pœnarumque æqualitas locum habet. Vim hujus Divinæ justitiæ homines vel inviti agnoscunt, quos, licet sæpe ab omni pietatis sensu alienissimos, conscientiæ tamen futuræ miseriæ exagitant, de justo Dei judicio post mortem plane exercendi illos admonentes. Hinc apud omnes fere gentes communis semper fuit de inferis opinio, quæ non aliunde videtur, quam ex interno illo conscientiæ testimonio derivanda. Porro sapientiæ Divinæ inimica est sententia animas mortales fingens, si enim animæ nostræ facultates spectemus, manifestum est, illas tam late patere, ut nunquam penitus exhaustiri possint. Innumerabiles in nobis animadvertimus passiones quotidie variantes, nec videre possumus ubi desineret hæc facultas nova patiendi. Inprimis est capax anima nostra voluptatum speciebus & gradibus innumerabilium. Si igitur exercitium hujus facultatis esset angusta

sta

stæ hujus vitæ terminis inclusum, utique frustra
ipsis tanta amplitudo esset. Neque evertitur
vis hujus argumenti, si objeceris: mentem vel a-
nimam tristium & jucundarum passionum æque
esse capacem, frustraneam igitur esse hanc ma-
li capacitatem nisi tota expleatur, nam malis
non deerunt mala, neque sterilis est hæc capa-
citas in bonis, quos deterret a malo. Pari ra-
tione quodammodo infinitus esset appetitus no-
ster, quatenus non nisi infinito objecto satiari
potest. In hac autem vita istud objectum non
nisi leviter & perfunctorie attingitur. Ergo erit
vita post hanc vitam, ubi & hæc facultas plane
se exeret. Tandem est stringens argumen-
tum quod peti solet ex illo communi immor-
talitatis appetitu. Cum enim hic animæ essen-
tialis sit & per naturam infusus, adeoque aucto-
rem, quem ipsa natura nostra habet etiam a-
gnoscat, frustraneus esse nequit, esset autem vel
frustraneus plane vel ad nos cruciendos tantum
datus, si anima esset mortalis, quorum ut
illud cum sapientia Divina conciliari nequit, ita
& hoc infinitæ ejus bonitati & clementiæ pror-
sus

sus repugnat. Anima nostra immortalis igitur
 erit, existentiam & vitam suam in perpetuum,
 sine intermissione & interruptione continuabit,
 adeoque nunquam cogitatione ad momentum
 temporis destituenda. Cum enim essentia ejus
 in vita consistit, vita ejus sola cogitatione ab-
 solvitur, manifestum est, animam, ut non sine
 vita, ita nec sine cogitatione existentiam suam
 rueri posse.

TANTUM.

